QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. DECEMB. M. PETRO DE BEAVRAINS DOCTORE MEDICO MODERAT.

An Congreſſus publicus virilitatis virginitatiſq; examen? 689



ONIVGIVM eſt maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ ſocietatem continens, immortalitatis amicum, regnorum & humanitatis ſeminarium, virginum nubilium, ictericarum, & hyſtericarum vnica medela: non tantùm huic rei deſtinatum, vt rem habeat cum coniuge coniux, ſed vt mutua ope ſe promereantur. CONGRESSVS PVBLICVS inſolens huius ſæculi commentum, indignum caſtitate noſtrorum temporum, viro potiori iniurium, lex duriſſima, ſexus ſequioris pudendæ veneri commodius, incorruptam copulam, & ſacrum violat vulnere fœdus. Quis furor, quæ nocte latent in luce fateri? Diuortium matrimonij fructus hodiernus, proh dolor! hodie audacia indomiti, imperioſíque animalis, ſuas vt ſibi res vir habeat impetrat.



ON tam indiuidui quàm ſpeciei eſt Medicus, qui ex veſtis, & ventris inſpectione, illicitóque veneris arcanæ duello publico, ſitne deuirginata mulier, an impotens maſculus, conſulitur. Sed heû, vix vnus ex mille in venerem armatiſſimis, ab hoc impari congreſſu, victor diſcedit: nec audit ligamen habenas: nec imperio iudicis, aut iuſſu magiſtratus, ficula obtemperat. Quid triennium expectas? nulla nec pariendi, ita plantandi hominis, barbæque teſtium indicis ſtata dies: nec balneum mendax doloſas mulierum detegit artes. Volentibus nobis flacceſcit, nolentibus arrigit criſtas Penis. Triſtitia, metu, odio, verecundia, animum deſpondet vir. Nec ſurrectio, & intromiſſio, maſculæ virilitatis, nec elumbis marcor, ἀδυναμίας argumentum. Eunuchi facere poſſunt, non patrare; & tener vxorem ducit Spado.



ENTVLA ſpongioſa, vnicus deriuandi ſeminis tubulus, mariſque ramus, ligamentis duobus arboreſcit, ſpiritu qui à corde manat turgida, virum facit ampliſſimum: nec ob vnitatem, pluralitatémque teſtium, quamtumuis internorum, aut varicoſorum, aut ſcroti ῥάκωσιν, accuſandus vir: nec credibile eſt vnum poſſe viduæ, qui non poſſit & virginis arare fundum. Quaſi vterus ſagax, voraxque animal repentino ceruicis occurſu, pabulum non arriperet? quod ſi Symphyſis naturalis aut aduentitia φιμώσεως parens, ἀτρήτους, velatas, aut capiſtratas facit, ſi pinguedine obeſus genialis thorus, ſi ad coxam allapſus, ſi membrana quaſi peſſulus obſtet, ſi nequeat niſi menſibus irrigata pertundi, ſi os pubis valde depreſſum, ſi vterus prolapſus virginitatem æmuletur, virum ego inſontem, ſontem fœminam, nec libellum repudij viro, ſed mittendum vxori pronuntiabo.



NTEGRA & ſolida puellarum non deuirginatarum Virginitas, eſt naturalis & primæuus, nec interruptus partium tam concauarum quàm conuexarum vterinæ ceruicis ſitus, non rugis, ſed criſpitudine notandus. Vana quæ Anatomicis de exploranda virginitate hactenus lucubrata; vana decantatiſſima membrana Hymen. Non dolor ex prima congreſſione integritatis argumentum; nec digitus obſtetricum ἀπαυρώτου index, cuius ad ingratum tactum vterina ceruix contrahitur, atque colligitur. Nihil ad primam veneris pugnam, fluat, aut non fluat ſanguis. Nonne mulieres, vt in viros euadunt, & erumpunt ſæpè; ita dilatari naturæ æſtuantis opere, (cui ſoli in trinam auctio dimenſionem conceſſa) abſque viri violentia, caſtamente poſſunt? Nullæ obſtetrices virginitatis, ementita arte, etiam à partu reſarciendæ.



VI ad venerem eſt inermis, ſuæque impotentiæ conſcius coniugi ne coniungatur: qui dubius an ſit impos, Medicum accerſat ſagacem, cuius oraculo lis de dubia imbecillitate dirimatur: qui fœcunditer hortum muliebrem irrigat, congreſſu illo publico abſtineat. Nulla viro victoria ſperanda eſt, vbi inuita mulier, hoſpitem nunquam admittit priapum, quæ quaſi Thracia Baccha, Orpheum verbis vnguibúſq; dilacerat; in quo veritas potiùs obtenebratur, quàm eluceſcit: non quod proteruis non ſint multi inepti fœminis, ſed quod immatura & præcox iuuenum venus, & quod nutanti, vagóque pulſant meretricum diobolarium ariete portas, viros vietos, & exſuccos facit, mulieres verò nulla libidine ſatiatas laſſat. Sed quid moror? amor non imperatur, vbi non eſt conſenſus animorum, non poteſt fieri copula corporum. Ergo ſolus amor perturbationum maxima, coniugalem ſollicitat, & conciliat venerem; non ſatyrion, non vlla ars, aut vllum medicamen, quod naturæ irritandæ natiuum creditur, non congreſſus palam nefandus, hominum ignarorum, aut nefariè curioſorum inuentum, dedecus ſæculi, ſexus vtriuſque infamia, quo teſtibus teſtes adhibentur, & dum Naturæ arcana inſpiciuntur, deſpiciuntur.

Non ergo Congreſſus publicus virilitatis virginitatiſq; examen. 137

Proponebat Lutetiæ HVGO CHASLES Pariſinus, Anno M. DC. XXVI

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Hermannus de Launay.
M. Philippus Harduinus de S. Iacques.
M. Helias Beda.
M. Franciſcus des François.
M. Ioannes du Cledat.
M. Nicolaus Roland.
M. Ioannes Riolan, P. M. R.
M. Andreas le Gros.
M. Ioannes le Mercier.